

Eximio ac praeclarac spei  
*Adolescenti*

**CHRISTIANO**  
**Gottlieb**  
**TRENDELIO**

*Lesnensi Polono,*  
*Bonarum Artium in Gymnasio*  
*Thorunensi Studiofo solertissimo,*

*Cum*  
inopinata morte d. XXII. Aug.  
A. d. b. ccXII.

*sopitus*  
d. XXVI. Ejusd. mens. & An.  
in Coemeterio Georgiano  
solenni exequiarum ritu  
*contumularetur,*

*suo in vita commilitoni dilectissimo*  
ultimum amicitiae officium  
*praestare,*  
ac monumentum ponere voluerunt

*Primae Curiae Auditores.*



**T H O R V N I I,**  
Impressit JOHANNES NICOLAI, NOBIL. SENAT. ET GYMN.  
Typographus.



**E**Rgone qui coluit divinæ Palladis artes  
Vitali rupto stamine fata subis.  
Siccine Phœbei pæcelsa cacumina montis  
Squalenti pulsat trux Libitina pede?  
Sic est; Gymnasia non postumus inter alumnos  
Proh dolor! optatum labitur ante diem.  
Fletibus ora rigat Parnasi turba novena,  
Neve pudet ruptis exululare comis.  
Carmina læta tacent; scelus est duxisse choreas:  
Non juvat albenti pleetra movere manu.  
Ipse chori Præses Musarum flavus Apollo  
Nati dilecti tristia fata dolet.  
Nec minus accurrit sociorum turba piorum  
Effuso tristes imbre rigante genas.  
Ævi vernantis florem viridemque juventam  
Lethæus somnus sub sua jura vocat.  
Horror membra quatit, scribendi nulla facultas  
Est mihi, nec numeris nectere verba juvat.  
Scilicet ingenio præclarus & indole rara  
Cogitur immiti subdere colla neci.

Im.

Imbuit egregia mentem probitate fideque,  
Forti despexit pectore quodque nefas.  
Post ubi paulisper juveniles tangeret annos  
Aonii petiit montis amoena juga.  
Non obstat glacies brumae, non torrida mesfis;  
Impiger adscendit culmina celsa petrae.  
Ut sudore madens venator oberrat in altis  
Montibus & fulvo sedulus instat apro.  
Ut solet ad metam gressu properare citato  
Cursor, qui ludi præmia ferre cupit.  
Plus erat in nostri defuncti pectore clausum  
Quam capere ut viridis sæpe juvenia queat.  
Hinc illi tribuit studiosos inter alumnos  
Primum, quo dignus, doctus Apollo locum.  
Ille voluptates mundi luxumque nocentem  
Odit, ceu lentæ toxica nigra stygis.  
Impia sacrilegae vitavit crimina turbae  
Aspidis ut fugimus sibila blanda mali.  
Iurgia lascivæ damnavit vana cohortis:  
Rixari magnum credidit esse nefas.  
Vidimus hunc svavi morum dulcedine magnos  
Urbis Primates conciliaffe sibi.  
Hinc spem concepi firmam rebarque futurum  
Ut mox virtutis præmia larga ferat.  
Sed spes cassâ fuit, tenuesque recesit in auras,  
Eheu mature, *Frater amande*, cadis!

Cur

Cur autem tanto rivo perfundimus ora?  
Defunctum Fratrem sicne dolere decet?  
Sat maduere genæ, lachrymas cohibete Parentes,  
Abstergat flentes candida lana genas.  
Filius inſveti conſcendit limina coeli,  
Atque Deo aeterno carmina ſancta canit.  
Naufraga turgentis pelagi ſubducta ruinis  
Cymba, tenet portus littora tuta ſui.  
Non urget luſtus trepida formidine mentem,  
Obtinuit finem cura maligna ſacrum.  
Ergo gratamur laetanti fronte quietem,  
In coelis altis quam ſine fine capis.

